

17-27

D I G I T A L I U M

M O N O G R A P H I A ;

SISTENS

HISTORIAM BOTANICAM GENERIS,

TABULIS OMNIUM SPECIERUM HACTENUS COGNITARUM

ILLUSTRATAM,

UT PLURIMUM CONFECTIS AD ICONES

FERDINANDI BAUER

PENES

GULIELMUM CATTLEY, ARM.

SOC. LINN. ET HORT. LOND. SODAL.

CURA

JOHANNIS LINDLEY,

SOC. LINN. ET HORT. LOND. SODAL.


LONDINI:

TYPIS RICARDI ET ARTHURI TAYLOR :

PROSTANT VENALES APUD J. H. BOHTE,

REGI PRO LIBRIS EXTRANEIS BIBLIOPOLAM.

MDCCCXXI.



VIRO GENEROSO

GULIELMO CATTLEY,

ARMIGERO,

SOCIET. LINN. LOND. ET HORT. SODAL.

BOTANICES SCIENTIÆ CALLENTISSIMO,

PATRONO NULLI SECUNDO,

ET, QUOD MAXIMI DUCIT,

AMICO SUO OPTIMO,

D. D. D.

AUCTOR.

L E C T O R I .

HOC, B. L., jam ferè in consuetudine venit, ut quisque de ratione operis qualiscunque evulgandi verbum agat. Si, autem, ego causas memorare ex quibus origo nostri est necesse putaverim, ex eo est quòd vix pro autore haberi debeo, sed potiùs laboris alterius editore. Multis abhinc annis Dominus Ferdinandus Bauer, qui tam nitidè icones *Floræ Græcæ* Sibthorpii elaboravit, operisque proprii longe pulchrioris, si fortuna melior concessa fuisset, *Illustrationes Floræ Novæ Hollandiæ*, ex itinere Græco redux, figuras omnium quantum potuit, specierum Digitalium, mox publici juris faciendas, ad genus iconographicè illustrandum inchoavit; partim sculpsit. Multò priùs, autem, quàm res perfectæ sunt, autorem expeditio Anglica quæ, duce navarcho Flinders, ad oras Australasiæ indagandas missa est, pro pictore Botanico exegit. Conatus igitur de Digitalibus in morâ venit; nec sine damno. Iterum enim operi restitutum, et rebus necessariis suppeditari frustrà quæsitum, librorum Botanicorum splendorum sumptus, ut tandem Monographiam rejiceret, impulerunt. Librum diù et avidè expectatum tenebræ demum abdidierunt; et, nisi si casus faustus et inopinatus accidisset, abdidissent. Quod privatum ingenium perficere nequivit, privata munificentia effectum reddidit. Amicus noster Dominus Gulielmus Cattley, non minùs horto Botanico ditissimo celebrer, quàm animo liberali, Baueri opus oblivio vindicare, et ipse, iconibus tabulisque æneis pretio comparatis, sumptus solvere constituit. Mihi benignè perficiendi curam commisit, et in publicum proferendi; quod feci pro meâ facultate. Omnibus autem quantum mihi revera tribuendum est forte non satis patefaciat; paucis, igitur, morabor dum partem propriam ostendam,

et singularem. Icones viginti-duo accepi perfectas, totidemque tabulas æneas; quinque ipse ad umbilicum perduxî; unam partes fructificationis illustrantem Dominus Franciscus Bauer, pictor ante omnes, et præcipuè rerum microscopicarum, peritus, mecum communicavit.

Quæ cuique tabulæ pertinent, voces monstrant singulâ insculptæ. Argumentum operis et ratio mihi tribuatur: mihi errores. Cum mihi, quod doleo, omnium specierum Bauero depictarum non potui exemplaria comparare, ei soli quandoque innixi, quod semper explicatum habetur; et sanè minoris est quippe talium characteres prorsùs plani sunt, et solitâ autoris diligentîâ depicti. Historiam Digitalium medicinalem, potiùs Medico quàm Botanico attinentem, parum studui; non autem prorsùs omisi; Botanicam, quantâ curâ et studio in me fuit, ad unguem inchoare volui; si parum feliciter, id ex iudicio imperfecto accidit, nec rerum inopiâ. Supplementum, si hoc tentamen exitum felicem habuerit, species mox detegendas contineat: Ut nunc est, numerus multum augetur, opusque omnibus de re adhuc editis, ut ita dicam, magis est perfectum.

Tantum restat ut gratias amicis celeberrimis R. Brown et A. B. Lamberto pro benevolentîâ singulari quâ bibliothecarum et herbariorum usum, hic priorum, ille Banksianorum, concesserunt, quàm maximas agam.

J. LINDLEY.

D I G I T A L I S .

INTER omnes quæ per orbem antiquum sparguntur stirpes pauca restant genera, vel antiquis scriptoribus planè incognita, vel tam obscuris verbis descripta ut hodie cuinam eorum adscribere nescimus. Talem fortunam Digitalis, de quâ tractaturus sum, subiit. Sunt, tamen, et ii homines fide dignissimi, et operibus scriptorum classicorum versatissimi, qui aliter senserunt; nempè Dalechampius, qui Calathianam Violam Plinii Digitalem credidit; Cæsalpinus, qui Damasonium alterum Plinii, seu Damasonion Dioscoridis; quæ opinio potius e nomine "fistula pastoris" ab Avicennâ stirpi Dioscoridis imposito, quam ex auctoris illius descriptione, ortum duxisse videtur: et fatendum est diagnoses imperfectissimas Plinii Dioscoridisque magis plantas referre vulgò iis adscriptas, quàm Digitalem. Fabius Columna Ephemerum Diosc., quod Colchico autumnali omnibus aliis refertur, hujus loci judicavit. Nec celeberrimum Sibthorpium recentiore prætermissam, cujus sententiâ Helleborus albus Dioscoridis Digitalem planè indicavit; quum autem *D. aurea* est quâcum assimilare voluit, cum cel. Smithio, hanc opinionem æquè ac aliorum vero absimilem credo.

Fuchsius fuit qui primus genus nostrum certè descripsit, et nomen imposuit, quòd flores habent digitabuli, munimenti sartorii, similitudinem, nomine agresti Germanorum indicatam. Nihilò seciùs Cæsalpinus, post multos annos, iterum nomine Virgæ pastoris insignivit; alii Nolæ s. Campanulæ sylvestris. Hos tamen vires in medicinâ potentissimæ omnino latuere: ut verbis sæculi illius utar, virtutes calidæ fuerunt, et siccæ; sed nihil ampliùs: veras inveniendi honor est nostri ævi; et præcipuè cel. Witheringii, per quem ferè primum innotuere. Nunc diureticæ habentur, et ad pulsum debilitandum potentes. Folia *D. purpureæ* sub pulveris formâ, aut tincturæ, aut infusionis, in hydrope, tussibus, et catarrhis, etiam morbis chronicis, adhibentur. Sunt, quoque, qui in hæmoptysi, cæterisque hæmorrhagiis, orthopnœâ spasmicâ, aliisque, præscribunt. Præter hæc Allionius *D. ambiguae* vim contra hæmorrhoidas cæcas laudat; Querius *D. obscuræ* contra gangrenas, et carnis vivi putredinem: quæ in locis propriis memorabuntur.

Genus ordine naturali Scrophularinarum collocatur, prope Scrophulariam: quâ, et om-

nibus congeneribus, abundè differt, calyce 5-phyllo, corollâ infundibulari sæpiùs ventricosâ 2-labiata, antheris nudis 2-ocularibus : loculis parallelis, disci absentia, stigmatè 2-lamellato. Species plures, inter se quàm maximè congruentes, et quandoque characteribus nimis fortè tenuibus distinctas, colligit; affines non magis habitu quàm patriâ. Excipias, tamen, species ex insulis e regione oræ Africæ occidentali, cæteris, corollæ lacinia superiore labio æquali, et in eo, æstivatione incumbente, discrepantes; multò habitu. Ergò hæ fortè pro genere distincto habeantur, quod nomine *ISOPLEXIS*, ob æquales corollæ lacinias, designetur.

Ad margines viarum vel in fruticetis per regiones Europæ temperatæ crescunt, et Asiæ; rarò in montosis; duæ Maderâ, et insulis Canariensibus spontaneæ, nullæ in continente Africæ detectæ sunt. Ex Europæis plurimæ Germaniam Galliamque incolunt, et similes gradus latitudinis; uncatantum Britanniam, Daniam, et Sueciam, quæ altiùs quàm lat. 62° sponte crescere recusat; sex Hispaniam et Lusitaniam; tres Græciam; nullæ insulas maris Mediterranei; ergò ultimus limes Europæus est lat. 37°. Nullæ ultra Canarienses in lat. 28° inveniuntur. Asiaticis idem parallelus tribuitur; tres tantum in eâ parte mundi reperiuntur, quarum unica Sibiricæ propria; alteræ Europææ in regionibus Caucasi et Persiæ spontaneæ.

Primus de Digitalibus planè disserens, ut jam pridem dixi, fuit Fuchsius; hunc Columna, Lobelius, Bauhini, cæterique secuti sunt. Linnæi ævo undecim species innotuere, quarum in ed. secundâ Specierum Plantarum sex phrasibus specificis indicantur. Mox numerus usque ad octo augetur, additis *D. minore*, et *ambiguâ* Murrayi horto Gœttingense excerptâ. In Supplemento Linnæi filii *D. sceptrum* describitur, tum nuper in Madera b. Massono detecta. Paucos intra annos Rothius in Catalectis Botanicis *D. purpurascens* descripsit; et eodem opere *D. Winterli*, aliquantisper antea ab Ehrharto in Beitrage sui fasciculo 7mo, sub nomine *D. lanatæ*, stabilitam. Ille etiam *D. fucatam*, meram (ut mea fert opinio) *D. hybridæ* varietatem, quæ ipsa *D. luteæ* referri debet. Lamarckius sub eodem tempore *D. orientalem* Tournefortii elegit: postea Waldsteinus et Kitaibelius *D. lævigatam* Hungariæ; *D. leucophæam* Sibthorpii ejus editor in Prodromo Floræ Græcæ. Ita, lentis gradibus, numerus specierum per 260 annos ad 17 increvit. Haud sanè locutus sum de *D. erubescens* Ait. Hort. Kew. ed. 2, eadem ac *D. purpurascens* Rothii; nec de *D. micranthâ* Elmigeri *luteæ* referendâ; nec *D. fuscescens* W. et K. *ochroleucæ*. Delineatæ et distinctæ sunt a Bauero et a me species 23, quarum *D. sibirica*, *fulva*, *aurea*, *viridiflora*, *rigida*, *lutescens*, et *tubiflora* prorsus novæ. Præter hæc una adhuc restat, à Parkinsonio in Paradisi p. 382 sub nomine *D. albæ alteræ* s. *minoris* descripta, de quâ nihil certi invenio. Loureiri Digitales Cochinchinenses planè genere omninò sunt alienæ.

Monstra quædam sunt in Digitalibus, seu formæ præternaturales partium fructificationis, de quibus non tacere oportet, à me ipso visa aliisve. Monstris, enim, nihil est quod veram partium indolem et officium planiùs ostendit, imò demonstrat. Flores abortientes, quibus corolla et stamina abbreviata intrâ calycem, semper clausum, includuntur, styli

tantùm rudimento, in *D. fulvâ* sunt frequentes; tales forsitan omnes *D. micranthæ*, sed calyce expanso et organis perfectioribus. *D. purpuream* floribus subæqualibus quinquefidis diandris observavi; de corollâ æquali *D. lanatæ* Elmigerus verbum facit, et, quod magis mirum est, de floribus duobus in unum coalitis, adeoque omnibus partibus didymis. Accuratissimus Kœlreuterus monstrum in stirpe hybridâ inter *D. luteam* ♀ et *obscuram* ♂ mirabile observavit, corniculo quasi nectarifero uno alterove, rectè ac obliquè retrorsum spectante, e medio ferè floris latere oriundo, instructum, singulari naturæ lusu (*Act. Petr.* 2. 272). Hujus fortè origo idem ac cornu *Linariæ*, præsertim ejusdem monstri Peloriæ: quod opinionem de naturâ polypetaloideâ corollæ monopetalæ multùm firmare videtur. *D. minoris* sepala aliquando ferè foliosa fiunt, et indole haud dissimili *D. aureæ* afficiuntur.

Est quoque Digitalium natura, non dico ad monstra, mulos tamen gignendos prona. Quæ cum ita sit, quodammodo necessarium redditur ut pauca morar dum hybriditatis leges, rei quâ non est altera obscurior in scientiâ botanices physiologicæ, percurram; de iis philosophorum theorias, et data undè hæ deductæ sunt. Et eò magis propensus sum, quod genus ipsum pars fuit experimentorum seriei ante omnia ad botanicem illustrandam, ullo sæculo instituta, accuratissimorum, imò numerosissimorum.

Homines in omni ævo animalia mula existere noverunt; haud autem plantas. Etiam recentiores, Bradleio excepto, ferè clam fuit ante sæculi præteriti medium, quo Linnaeus, sub nomine unius discipulorum, dissertationem de plantis hybridis in lucem protulit; libellum sanè ingeniosum, sed parvi pretii, nisi quòd mentes philosophorum in rem direxit. Ipsum imperfectissimum est, quod semper accidit et accidere debet de argumentis conjecturis tantùm, nec rebus certis deductis. In eo species pro exemplis hybriditatis prolatas ferè omnes nunc naturales esse noscimus. Kœlreuterus lynceus et indefessus primus leges mularum plantarum investigavit, et phænomena. Ille quidem circa annum 1775 seriem instituit observationum de re, et experimentorum, per viginti annos continuam, ut pro certo intelligeret quæ plantæ fœcundatione mutuâ prolem gignerent, quantò proles esset fertilis, per quot gradus existeret, et quatenùs genus alterum alterum gravidum redderet. Inter alia, experimenta 23 fecit de Digitalibus, 57 de Verbascis, 44 de Solaneis, 172 de Malvaceis, 28 de Linis, 16 de Dianthis, 79 de Mirabilibus; uniuscujusque exitu modo quàm maximè perspicuo narrato. His sedulò comparatis, sequentes propositiones deduci possunt; 1°, *Varietates ejusdem speciei stirpem æquè ac parentes fœcundam producant*; 2°, *Species diversæ prolem ferè omninò sterilem producant*; hinc duæ alteræ; 3°, *Si stirpes duæ mutuò fœcundatæ prolem fertilem edant, ejusdem speciei sunt*, quamvis habitu dissimiles; 4°, *Si stirpes duæ se invicem fœcundare nequeant, speciei diversæ sunt*, quamvis habitu similes. Verba Kœlreuteri sunt: Copulatio mutua infructuosa, quo in plantis veram specierum imaginem agnoscere possis, lapis Lydius est. Hac certè infinitæ Botanicorum discordiæ citiùs longè atque meliùs quàm verbis et conjecturis dijudicantur. Rectè hinc fuisse cel. Murray, qui *D. luteam* magno flore C. B. in horto Gœttingense sub ambiguae cognomine distinctam speciem declaravit, infructuoso hujus ex-

perimenti eventu solidò confirmatur.—*Act. Petr.* 1. 225. 5°, *Plantæ genere diversæ se invicem rarissimè fœcundare queunt.* Mularum spatium vitæ casibus variis, sæpe penes cultorem, definitur. Si mulæ proprio polline gravidæ reddantur, soboles debilis data est et vesana, quæ naturam veluti exhaustam agit; mularum polline unius parentum gravidarum progenies sterilis fuit atque ultimum gradum vitæ contigit; aurâ speciei ab ambobus parentibus diversæ seminali fœcundatarum, proles sæpe fuit fertilis; mulas autem arte nullâ ultra gradum quartum produci Natura permisit. Pars altera theoriæ ingeniosissima sanè est et curiosa; sed experimentis nullis enarratis demonstrata; hinc nimis hypothetica et prætereà nostro argumento aliena. Speciem, credit, alteram in alteram transmutari posse, nec non restitutionem quarundam hybridarum in pristinum statum, sub requisitis gradibus descendantibus, a se jamdudum perfectam esse; dogma itaque Aristotelicum, quo species in speciem transmutari non posse, perhiberi, doctrinamque omnem hodiernorum physiologorum de præformatis germinibus re ipsâ satis superque refutari; transmutationem animalium diversæ speciei æquè facilem ac pronam esse ex certissimis observationibus sibi persuasum esse. *p.* 399.

Propositiones ex experimentis, ut ferè omnibus visum est, certissimis collectas nemo negavit, usquedum anno 1809 Bellardius, rerum Georgicarum in universitate Paviæ Professor, in libello *Saggio Botanico-Georgico intorno l'Ibridismo delle Piante* doctrinam novam protulit. Ille, actorum Kœlreuteri oblitus, stirpes vel inter varietates speciei hybridas, vel generis species, posse fertiles esse asseruit; etiam inter genera diversa; duntaxat experimentis de *Triticis* tribus sc. *Polonico*, *cærulescente*, et *tomentoso* fretus; quæ sub suis auspiciis progeniem e mixtâ copulatione fertilem dedere. Agnoscit, tamen, summam curam necesse esse ne hybridæ ad parentum imaginem reverterent, quippe quòd Natura per varios modos pristinam formam resuscipere semper tentat. Ultra duos gradus non vidit, ipsaque experimenta eò minus satisfaciunt quo *Tritica*, de quibus verbum est, fortasse ex eâdem fonte in principio orta fuisse possunt.

Opiniones, itaque, ex adverso, vulgatas tantùm firmare videbantur. Nihilò seciùs anno præterito botanophilus ingeniosus sanè nobilisque, Reverendus Gul. Herbert, doctrinæ Bellardianæ, ut videtur, inscius, theoriam de hybridis fertilibus rursus proposuit. In Dissertatione in Actis Societatis Horticulturæ Londinensis edita, plura iis Bellardii similia proponuntur, pauca nova; sed nulla argumentis probis confirmata. Ad sunt, fateor, experimenta quædam de Gladiolis Africanis copulatione hybridâ prolem fertilem gignentibus; ne verbum, tamen, de harum mularum progenie; nec observationum methodi enarratio, quo tantùm de experimentorum validitate dijudicandum est. *Amaryllis*, inter *reginam* ♂ et *vittatam* ♀ hybrida, hortulanis *Johnsoni* nuncupata, in *Botanical Cabinet Loddigesii spectabilis*, fertilis esse asseritur; quod condico, si stigma ex polline speciei alterius fœcundationem receperit, ut ex experimentis amici cel. Griffinii probatum est; an ex fœcundatione propriâ idem accidisset nescimus: res saltem adhuc dubia hæret.

Celeberrimus T. A. Knight, rebus de physiologia vegetabilium versatissimus, argu-

mentis Kœlreuteri plantas hybridas, id est, inter species diversas, perpetuas effici non posse, planè consentit. Revera, phænomena Naturæ hodierna ad eandem finem ducunt; et quùm Dea sibi in actis omnibus momentosis semper constet, leges de unâ vegetabilium tribu omnes alias dirigere, nisi si experimentis certissimis esse aliusmodi probetur, credere debemus.

Inter species quas pro ineditis proposui, unam, verosimiliter hybridam, admisi; quod quidam, utpote novum et ferè inauditum, vindicari debere putabunt. Est, tamen, nihil nisi necessitas, quo vindicetur. Adsunt characteres quibus speciei nulli adscribi potest; et, cùm sit inter duas, parentibus patefactis, matris tantidem esset quanti patris; huic non magis similitudine accedens quàm illæ, duos locos obtineret, v. nullum. Sed nimis diversa est ut silentio præteream; ergò locum quendam habere necesse est; et, omnibus perpensis, proprium tribuere malui, quàm alterius. Quid, enim, prodest si speciei naturalis character, qui tum ex duobus conflabitur, ita augeatur ut hybridam sibi dissimillimam recipiat? Species, enim, Botanicorum sæpiùs artificiales sunt, et, ex rerum ipsarum naturâ, quodammodo semper erunt.

DIGITALIS,

TAB. 1.

Digitalis FUCHS. *Hist.* 892. Campanula TRAGUS *Kreut. lib. 2. c.* 125. Virga regia CÆSALP. *pl.* 348. Digitalis TOURN. *Inst.* 165. LINN. *Gen.* 758. GERT. *Carp.* 1. 247. *t.* 53. Gesneriæ sp. LINN. *Hort. Cliff.* 318.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx 5-sepalus. Corolla infundibularis 2-labiata. Antheræ nudæ biloculares; loculis parallelis. Discus 0. Stigma 2-lamellatum.

CHARACTER NATURALIS.

HERBÆ v. SUFRUTICES.

RADIX biennis, vel perennis, fibrosa.

CAULIS erectus, foliosus, hirsutus, rarò impubis, teres v. paulò angulatus, simplex ramosusve.

FOLIA nunc mollia, rugosa, nunc lævia, nervosa, magis minùsve hirsuta, rarò glaberrima, biformia: *radicalia* humi diffusa, sæpissimè dentata; *caulina* lanceolata v. oblonga, petiolata, (tùm sæpè decurrentia,) v. semiamplexicaulia; sensim in bracteis mutata.

FLORES cernui, racemosi, rarò spicati, albi, purpurei, v. lutei.

RACEMI pauciflori v. coarctati, nunc secundi, nunc quaquaversi, bracteati, rarissimè comosi.

BRACTEÆ lineares, aut lanceolatae, inferiores sæpiùs floribus longiores, superiores sensim abbreviatae.

CALYX 5-sepalus, campanulatus; *sepala* aestivatione tria exteriora valvatim super duobus lateralibus conniventia, latè v. angustè ovata, nunc rotundata, tum margine membranaceo; inæqualia, inferioribus sensim majoribus, nunc tubum corollæ ferè æquantibus; super fructum conniventia.

COROLLA infundibularis, bilabiata, nuda, vel hirsuta; *tubo* supra basin constricto apicem versus ventricosus, v. cum basi subcontinuo, concolore aut venis fulvis reticulato; *fauce* rarò nudâ, sæpiùs punctatâ, rarò ocellatâ; *limbo* 4-lobo: laciniis nunc acutis, nunc rotundatis, rarissimè obsolete; superiore emarginatâ v. bifidâ, rarissimè dente intermedia; v. subintegrâ; lateralibus superiori semper conformibus; inferiore (*labio*) majore, nunc cæteris conformi, nunc productâ, semel lunatâ, unguiculatâ, aestivatione in lacinias cæteras incumbente; v. in *Isoplexide*, accumbente.

STAMINA didynama, basi contorta, supra tubi constrictionem inserta, nunc ei æqualia, nunc multò breviora, lateri superiori ejusdem appressa, glabra, v. rarissimè pubescentia. *Antheræ* incumbentes, oblongæ, nudæ v. pubescentes, 2-loculares, loculis parallelis, distinctis, longitudinaliter dehiscentibus, septo incompleto. *Pollen* album, ovatum.

DISCUS mellifluus, sed tantùm colore pallidiore manifestus.

OVARIUM ovatum, glanduloso-pilosum, biloculare, semel semibiloculare, ovulis indefinitis placentæ globosæ centrali affixis. *Stylus* filiformis, directione staminum, rarò pilosus. *Stigma* 2-lamellatum, superficie papillosâ.

CAPSULA ovata, induviata, rarò glabra, bilocularis, per septa semi-dehiscens, *placentâ* centrali, demum liberâ.

SEMINA numerosissima, minuta, oblonga, magis minùsve angulata, scrobiculata. *Testa* brunnea, fragilis, membranâ interiore vestita. *Hilum* alterâ extremitate foveatum. *Rapha* et *Chalaza* inconspicuæ. *Embryo* rectus, teres, in axi albuminis carnosì: *radicula* hilo adversa, *cotyledonibus* duplo longiore.

SPECIERUM SYNOPSIS.

Sect. 1. DIGITALIS. Corolla infundibularis: laciniâ superiore labio multò minore, et ab eo æstivatione imbricatâ.

§ 1. Corolla oblonga ventricosa: laciniâ superiore transversâ. Stamina tubo breviora.

1. *purpurea* D. foliis oblongis rugosis crenatis, sepalis ovato-oblongis, corollæ laciniis transversis acutis, pedunculis rectis calycibus subæqualibus. *Tab. 2.*
2. *Thapsi* D. foliis oblongis rugosis crenatis undulatis decurrentibus, sepalis ovatis, corollæ laciniis ovatis rotundatis, pedunculis gracilibus arcuatis calycibus multum longioribus. *Tab. 3. 4.*
3. *minor* D. foliis radicalibus humi recurvis lanceolatis planis denticulatis, racemis paucifloris, corollæ laciniis ovatis rotundatis dilatatis glaberrimis: superiore 2-fidâ, pedunculis calyce triplò longioribus. *Tab. 5. 6.*
4. *ambigua* D. foliis ovato-lanceolatis dentatis sessilibus nervosis, bracteis inferioribus floribus subæqualibus, corollis pubescentibus reticulatis: laciniis ovatis transversis obtusis. *Tab. 7.*
5. *ochroleuca* D. foliis ovato-lanceolatis acuminatis dentatis cauleque villosis, bracteis lanceolatis floribus inferioribus duplo longioribus, corollis villosis reticulatis: laciniis ovatis acutis: labio barbato. *Tab. 8.*
6. *fulva* D. foliis lanceolatis ciliatis, bracteis omnibus floribus duplo brevioribus, corollis pubescentibus reticulatis: laciniis ovatis acutis: labio barbato, staminibus tubo subæqualibus. *Tab. 9.*

§ 2. Corolla subrotunda ventricosa: labio tubi longitudine. Stamina tubo æqualia.

7. *levigata* D. glaberrima, ramosa; foliis lineari-lanceolatis, floribus sparsis impubibus. *Tab. 10.*
8. *Sibirica* D. villosa, ramosa; foliis ovatis distanter dentatis, floribus sparsis pilosis. *Tab. 11.*
9. *ferruginea* D. racemo densopyramidali, sepalis marginatis, corollæ labio ovato integro barbato. *Tab. 12.*
10. *aurea* D. racemo multifloro, sepalis marginatis, corollâ arcuatâ: labio ovato 3-dentato. *Tab. 13.*
11. *leucophæa* D. racemo denso cylindrico multifloro, corollæ labio unguiculato lunato, bracteis linearibus floribus longioribus. *Tab. 14.*
12. *lanata* D. foliis oblongis, rachi lanatâ, corollæ labio ovato. *Tab. 15.*
13. *orientalis* D. glaberrima; foliis linearibus, floribus sparsis, corollæ labio oblongo. *Tab. 16.*

§ 3. Corolla infundibularis, parùm ventricosa: laciniâ superiore bifidâ. Stamina tubo æqualia; rarò nulla.

14. *parviflora* D. foliis oblongo-lanceolatis undulatis deflexis lanato-ciliatis integris, racemo denso cylindrico, corollæ laciniis sepalisque rotundatis. *Tab. 17.*
15. *viridiflora* D. glanduloso-pilosa; foliis oblongis dentatis, corollæ laciniis ovatis, sepalis subulatis. *Tab. 18.*
16. *rigida* D. glanduloso-pilosa; foliis oblongo-lanceolatis rugosis undulatis dentatis, racemo secundo multifloro, corollis pubescentibus: laciniis ovatis glandulosis. *Tab. 19.*
17. *purpurascens* D. foliis lineari-lanceolatis serratis glabris, racemo secundo, corollis glabris: laciniis rotundatis. *Tab. 20.*
18. *lutescens* D. foliis cordato-oblongis planis crenatis impubibus, racemo secundo, corollis glabris: laciniis obtusissimis, bracteis omnibus floribus brevioribus. *Tab. 21.*
19. *tubiflora* D. corollæ laciniis ovatis obtusis, floribus dichlinibus. *Tab. 22.*
20. *lutea* D. foliis lanceolatis dentatis glabris, racemo secundo, corollis glabris: laciniis ovatis barbatis, bracteis inferioribus floribus longioribus. *Tab. 23. 24. 25.*
21. *obscura* D. suffruticosa; foliis lineari-lanceolatis integerrimis glabris, corollis ventricosis. *Tab. 26.*

Sect. 2. ISOPLEXIS. Corolla campanulata: laciniâ superiore labio æquali, et in eo æstivatione incumbente. *Caulis fruticosus. Racemi pedunculati.*

22. *Canariensis* D. corollæ laciniis acutis. *Tab. 27.*
23. *Sceptrum* D. corollæ laciniis rotundatis, racemo comoso. *Tab. 28.*

SECTIO I.
DIGITALIS.

Corolla infundibularis: laciniâ superiore labio multò minore, et ab eo æstivatione imbricatâ.

§ 1. Corolla oblonga ventricosa: laciniâ superiore transversâ. Stamina tubo breviora.

1. DIGITALIS PURPUREA *Linn.*

TAB. 2.

D. foliis oblongis rugosis crenatis, sepalis ovato-oblongis, corollæ laciniis transversis acutis, pedunculis rectis calycibus subæqualibus.

D. purpurea. Fuchs. Hist. 892. t. 893. Dodon. Pempt. 2. 1. 13. Lob. Ic. t. 572. Bauh. Hist. 2. 813. Rivin. Monop. t. 104. Kniph. Cent. 3. c. ic. Blackwell Herb. t. 16. Linn. Sp. Pl. 2. 866. Curt. Fl. Lond. c. ic. Zorn. Ic. t. 262. Fl. Dan. t. 74. Smith Fl. Brit. 2. 665. Eng. Bot. 1297. Brot. Lus. 1. 200. Willd. Sp. Pl. 7. 283. D. C. Fl. Fr. 3. 595. Pers. Syn. 2. 162. Elmig. Mon. 41. Hoffm. et Link. Fl. Port. p. 222.

D. purpurea; foliolis calycinis lanceolato-ovatis acutis patentibus, corollis obtusis: labio superiore subretuso; inferioris lobo medio basi latiore laterales multoties superante. Brown in Ait. Kew. ed. alt. 4. 28.

Campanula sylvestris s. Digitalis. Trag. Kreut. lib. 2. c. 125.

Virga regia. Cæsalp. pl. 348.

D. flore albo, purpureo etc. Cam. Hort. 55.

D. flore incarnato. Besl. Eyst. Æst. ord. 1. fol. 1. f. 2.

D. purpurea folio aspero. Bauh. Pin. 243. Mor. Hist. 1. 478. sect. 5. t. 8.

D. foliis calycinis ovatis. Linn. Hort. Cliff. 308. Dalib. Par. 192.

D. foliolis calycinis ovatis acuminatis. Roy. Lugdb. 292. Hall. Stirp. 616. Gort. Gelr. Zutph. 127.

D. calycinis foliolis ovatis acutis, corollis obtusis, labio superiore integro. Linn. Hort. Ups. 178.

β. floribus albis.

D. alba. Lob. Ic. t. 572.

D. flore albo. Besl. Eyst. Æst. ord. 1. fol. 2. f. 1.

D. alba folio aspero. *Bauh. Pin.* 244.

D. purpurea β . *Linnæi aliorumque.*

НАБ. In Europæ mediæ lucis, et ad viarum margines, vix ultra 62° lat. bor. ♂. (*v. v. sp. et cult.*)

Herba 2—3-pedalis. *Folia* rugosa, opaca, mollia, pubescentia, crenato-denticulata: radicalia oblonga, petiolata; caulina sessilia, versus basin attenuata, superiora integra, plana. *Racemi* secundi, densi, elongati. *Bracteæ* ovato-lanceolatæ, floribus breviores. *Flores* grandes, cernui; *pedunculo* hirsuto, subrecto, calyci subæquali. *Sepala* inferiora ovato-oblonga, 3-nervia: superius subulatum. *Corolla* purpurea, ventricosa, glaberrima, fauce depressâ, maculis albo marginatis aterrimis ocellatâ; *limbo* obscure 4-lobo: laciniis multum latioribus quam longis, superiore emarginatâ. *Stamina* medium tubum vix attingentia; *filamenta antheræque* maculatæ, glabræ. *Capsulæ* pubescentes.

OBS. 1. Varietas *alba*, habitu ramosiore, sata non permanet: situs tamen proprios, locis natalibus, sibi vindicat. Alteram, maculis corollæ cæcis, Lusitanicam memorat celeberrimus Linkius, loco suprâ citato.

OBS. 2. Æstate præteritâ, varietatem singularem circa Sulloniacas spontaneam legi, *floribus minoribus, æqualibus, 5-fidis, sæpissimè diandris, quaquaversis*, cum verâ purpureâ intermixtam.

OBS. 3. Huic solæ speciei, cujus qualitates olim “calidæ” fuerunt et “siccæ,” vis medica hodiè tribuitur, utpote fortissimæ. Duæ tamen aliæ, fide Allionii et Queri, virtutem non minùs præpotentem et contra quosdam morbos efficacem possident; scilicet, *D. ambigua* et *D. obscura*.

2. DIGITALIS THAPSI *Linn.*

TAB. 3 & 4.

D. foliis oblongis rugosis crenatis undulatis decurrentibus, *sepalis* ovatis, *corollæ* laciniis ovatis rotundatis, *pedunculis* gracilibus arcuatis *calycibus* multum longioribus.

D. angusto Verbasci folio montana. *Bocc. Mus.* 108.

D. verbascifolia. *Bocc. l. c. t.* 85.

D. verbascifolia purpurea minor perennis hispanica. *Barr. Ic. p.* 20. *t.* 1183. ic. a Boccione mutuata.

D. hispanica purpurea minor. *Tourn. Inst.* 165. *Quer. Hisp.* 5. 51.

D. Thapsi. *Linn. Sp. Pl.* 867. *Brot. Fl. Lusit.* 1. 200. *Smith Exot. Bot.* 83. *t.* 43. *Pers. Ench.* 2. 162. *D. C. Fl. Franc.* 3. 596. *Elm. Mon.* 43. *Hoffm. et Link. Fl. Port.* 223. *t.* 30.

D. Thapsi; foliolis calycinis ovato-lanceolatis acutis glanduloso-pubescentibus corollæ appressis capsulam æquantibus, corollis oblongo-campanulatis obtusis: labio superiore retuso, foliis decurrentibus. *Brown in Ait. Kew. ed. alt. 4. 28.*

β . intermedia, caule simplici altiore, corollæ laciniis obsolete.

D. purpurea. *Tabern. Ic. t. 568.*

D. flore rubro. *Besl. Eyst. Æst. ord. 1. fol. 2. f. 2.*

D. tomentosa. *Hoffm. et Link. Fl. Port. 220. t. 29. Sims, Bot. Mag. t. 2194.*

HAB. In montosis Etruriæ et Sabaudia (Boccone); ad ripas arenosas Mundæ Lusitaniæ, et alibi in Beirâ (Brot.); in Hispaniâ ad vias, Cavanilles, Pavon; β Lusitaniâ circa Cintram et Grandolam, (Hoffm. et Link.) \mathcal{A} . (v. v. c. et s. sp. herb. Banks. et Lambert.)

Præcedenti simillima; tantùm differt, habitu humiliore, aspectu molli et incano, caule ramoso, in var. β autem simplici, foliis undulatis decurrentibus, bracteis lanceolatis sæpiùs corollâ brevioribus, sepalis ovatis angustioribus magis tomentosis, laciniis corollæ rotundatis; demùm antheris immaculatis pubescentibus; sed præcipuè pedunculis gracilibus arcuatis calycibus multùm longioribus. Capsulæ quàm purpureæ minores glabræ, sed varietatis β pilosæ. Linnæus an filia *D. purpureæ e Verbasco Thapsi* rogat; *Sp. Pl. 867.*

OBS. 1. Icon est à plantâ in horto Kewensi floridâ, natâ è seminibus exemplaris Cavanillesii in herbario celeberrimi A. B. Lambert; adeoque hortis restitutâ, quam à diebus Milleri hortulani perdiderant.

OBS. 2. Discrimen inter *D. Thapsi* et *purpuream* vix ullum verum observavi, nisi prioris pedunculi elongati, sepala longè angustiora, et antheræ pubescentes. Exemplaria plurima ex Hispaniâ Domino Lambert missa tantas habitûs differentias exhibent et characteris, ut nemo certos limites ostendere potest. Folia nunc lanceolata radicalia, nunc in caulem assurgentia, oblonga, quandoque lanâ densâ subtùs vestita, ut in exemplare olim illustrissimo, et heu! nunquam, satis deflendo, Josepho Banks in Lusitaniâ lecto; flores quaquaversi et secundi, laciniâ inferiore magis minùsve dilatatâ. Folia etiam *D. purpureæ* quandoque decurrunt. In cultâ bracteæ inferiores, quæ in spontaneâ semper floribus sunt breviores, fiunt elongatæ. Fortasse, igitur, potiùs meræ varietates habendæ quàm species legitimæ; quod pro certo affirmarem si compertam habere potuissem plantam cel. Kœlreutero cum *D. purpureâ* copulatione hybridâ mixtam nostram *D. Thapsi* fuisse, nec ipsius *purpureæ* varietatem.

OBS. 3. Nostram β , quam pro specie proposituè clarissimi *Floræ Lusitanicæ* auctores, potiùs varietatem aut *D. Thapsi* aut *purpureæ* censeo. Facies sanè diversa, sed vix satis characteres. Flores, in figurâ *Floræ Lusitanicæ* nimis campanulati, magis *D. Thapsi* referunt quàm *purpuream*; folia, autem, radicalia potiùs huic pertinent quàm illi. Foliolorum canities in plantâ b. Andersonio horto Chelseiano cultâ, ferè omninò evanuit. De characterum valore cæteri dijudicent; mihi prorsùs intermedia videtur. Icones Taber-

næmontani et Besleri huc pertinere credo; et verba Bauhini, qui, Pinacis p. 243, de Digitali loquitur, cujus, aliquando, flores in rotundam spicam in gyrum coli effigie in summo dispositi rufescunt ex luteo, intùs guttis purpureis asperis.

3. DIGITALIS MINOR Linn.

TAB. 5 & 6.

D. foliis radicalibus humi recurvis lanceolatis planis denticulatis, racemis paucifloris, corollæ laciniis ovatis rotundatis dilatatis glaberrimis: superiore 2-fidâ, pedunculis calyce triplò longioribus.

D. minor. *Linn. Mant.* 567. *Syst. ed.* 13. 470. *Willd. Sp. Pl.* 7. 284. *Pers. Ench.* 2. 162. *Elm. Mon.* 43. *Sims, Bot. Mag. t.* 2160.

D. minor; foliolis calycinis lanceolatis patentibus, corollis obtusis: labio superiore bilobo; inferioris lobo medio apice latiore laterales parum superante. *Brown in Ait. Kew. ed. alt.* 4. 28.

β . minima, scâpo aphylo folisque villosissimis.

HAB. In Hispaniâ. ♀. (v. v. c.)

Caulis simplex, glaber, vel pubescens. *Folia* lanceolata, distanter dentata, glaberrima: radicalia humi recurva, subtùs pubescentia. *Racemus* laxus, subsecundus. *Bracteæ* inferiores floribus subæquales, foliis conformes. *Pedunculi* gracillimi, calyce triplò longiores. *Sepala* lanceolata, pubescentia, inferiora tubo subæqualia. *Corolla* pallidè purpurea, tubo quàm præcedentium minùs ventricoso, glaberrimo, maculis plurimis minutis, non ocellatis, notato: laciniis rotundatis, dilatatis: superiore bifidâ, lobis imbricatis. *Stamina* tubo breviora, glaberrima. *Antheræ* valvulis interioribus vittatis. *Sepala* longitudine, respectu corollæ, mirè variant, inferioribus nunc tubo subæqualibus, nunc duplò brevioribus.

OBS. 1. Synonymon Tournefortii "D. purpurea hispanica minor" Willdenovio et *D. Thapsi* et *minori* citatum, potiùs priorem spectat, ob synonyma; quæ quoque sententia est Linnæi.

OBS. 2. Varietas singularis β in horto Domini Lee ad Hammersmith provenit; ut aiunt, in eâdem vasâ quâ anno præeunte *D. minor* floruerat, idecque ex eâdem radice. Differt equidem tantùm strigositate, caule aphylo, staturâ humillimâ, antherisque luteis maculatis.

4. DIGITALIS AMBIGUA Murr.

TAB. 7.

D. foliis ovato-lanceolatis dentatis sessilibus nervosis, bracteis inferioribus floribus subæqualibus, corollis pubescentibus reticulatis: laciniis ovatis transversis obtusis.

D. lutea. *Fuchs. Hist.* 892. t. 894.

D. lutea magno flore. *Bauh. Pin.* 244. *Mor. Hist.* 1. 479. sect. 5. t. 8. *Hort. Cliff.* 318.

D. major flore luteo amplo. *Park. Parad.* 381. f. 4.

D. lutea flore majore. *Bauh. Hist.* 2. 813.

D. foliis calycis linearibus acutis, flore venoso maculoso. *Hall. Stirp.* 617.

D. calycinis foliolis lanceolatis, corollis acutis, labio superiore bifido. *Gmel. Sib.* 3. 193.

D. ambigua. *Murr. Gætt.* 62. *Linn. Syst. Veg. ed. 13.* 470. *Suppl.* 282. *Schkuhr Bot. Handb. t.* 174. *Borkhausen in Röm. Mag.* 20. *Hoffm. Germ.* 221. *Willd. Sp. Pl.* 7. 285. *Bot. Reg.* 64. excl. synonym. quibusdam.

D. purpurea corollis luteis. *Gmel. Tub.* 194.

D. lutea. *Guldenst. Russisch. Reis.* 1. 425. *Pall. Russisch. Reis.* 3. 315. *Poll. Palat.* 2. 199. β . *Leers Herb.* 140*.

D. grandiflora. *All. Ped.* 1. 70. *Lam. Fl. Fr.* 2. 332. *D. C. ib.* 3. 596. *Elm. Mon.* 41.

D. media. *Roth Cat.* 2. 60.

D. intermedia. *Pers. Ench.* 2. 162.

D. ambigua; foliolis calycinis angusto-lanceolatis capsulâ brevioribus, corollis inflato-campanulatis obtusis: labio superiore retuso; inferioris lobis latioribus quàm longis. *Brown in Ait. Kew. ed. alt.* 4. 28.

HAB. IN Austriæ, Helvetiæ, Germaniæ umbrosis (*Willd.*); nemoribus montosis Saxoniæ (*Roth.*); Sibiriâ orientali et Persiâ (*Pallas*); Isetensi provinciâ (*Gmelin*). \mathcal{A} . (*v. v. c. et s. sp. herb. Lambert.*)

Herba 2-pedalis, caule simplici, piloso, pallide viridi, terete. *Folia* pilosa, nervosa, inferiora undulata, spathulata, obscure denticulata, superiora ovata, planiora; suprâ atro-viridia, infrâ pallidiora. *Racemus* coarctatus, secundus. *Bracteæ* ovatæ, inferiores vix corollâ longiores. *Sepala* ovata, pilosa. *Corolla* ventricosa, pilosa, flavescens, fulvo reticulata: laciniis ovatis, transversis, obtusis; superiore præmorsâ; inferiore nudâ. *Filamenta* et *Antheræ* immaculatæ, glabræ.

Obs. 1. Synonymon Gmelini Floræ Sibiricæ huc certè referendum. Flos enim ejus speciei externè et internè est pilosus; foliola calycina lineari-lanceolata: 2 inferiora propter tubum præeminentem apice reflexa. *D. lutea* igitur Guldenstadtii huic loco re-

feratur; et Pallasii in *Reise durch verschiedene provinzen des Russischen Reichs*, th. 3. p. 315. Hujus exemplar eo nomine notatum in herbario Pallasiano nunc Lambertiano hodie extat.

Obs. 2. Acris, violenter suspecta planta est ad internos usus non adhibenda. Scopo resolvendi et dolores leniendi utiliter imponuntur hæmorrhoidibus cæcis flores cum butyro in unguenti formâ subacti. *Allioni l. c.*

Obs. 3. Huc *D. media* Rothii; non obstante citatione Lobelii *ic. 573* paniculæ seorsim delineatæ quæ tantum *D. lutea* capsulifera videtur, quod etiam observavit cel. Ker.

Obs. 4. Nomen *D. luteæ* quod ex Fuchsii Historiâ ducit originem planè hujus est. Linnæus igitur æquo jure huic, quam stirpi eo nomine hodiè insignitæ, potius dedisse oportuit.

5. DIGITALIS OCHROLEUCA Jacq.

TAB. 8.

D. foliis ovato-lanceolatis acuminatis dentatis cauleque villosis, bracteis lanceolatis floribus inferioribus duplò longioribus, corollis villosis reticulatis: laciniis ovatis acutis: labio barbato.

D. lutea. *Tabern. Ic. t. 567. Mattusch. Fl. Siles. 2. 71. Crantz. Austr. 354. Roth Fl. Germ. 1. 267. 2. 60. Cat. 2. 59.*

D. flore luteo. *Besl. Eyst. Æst. ord. 1. fol. 1. f. 3.*

D. purpureæ var. Kniph. Cent. 6. c. ic.

D. purpureæ Linnæanæ var. floribus luteis. Jacq. Enum. Hort. Vind. 111.

D. ochroleuca. Jacq. Austr. 1. 36. t. 57. Borkhausen in Röm. Mag. 20. Pers. Ench. 2. 162.

D. ambigua. Schranck Fl. Monac. 3. c. ic. Wahl. Carp. 191.

β. fuscescens; floribus minoribus fuscis.

D. fuscescens. Waldst. et Kit. 3. 304. t. 274.

HAB. In Austriâ (*Jacq.*); Germaniâ (*Roth.*); in lucis herbidis omnium Carpathorum et regionum subalpinarum ascendens ultrà terminum Abietis, saltem in alpes exteriores ubique frequenter (*Wahl.*); *β.* in montosâ parte Croatiae inter frutices (*W. et K.*)
¶. (v. v. c. et s. sp.)

Præcedenti nimis forte affinis: differt tamen non minus habitu excelsiore quam foliis acuminatis margine lanatis bracteisque lanceolatis, quarum inferiores floribus ad minimum sunt duplò longiores et supremæ vix breviores. Barbam labii hujus laciniis corollæ acutis nec obtusis semper comitatam observavi.

OBS. 1. Borkhausen primus *D. ambiguam* et *ochroleucam* separavit; mox Rothius sub aliis nominibus, sed minus feliciter, quippe qui *D. ambiguam* Linnæi pro novâ proposuit sub nomine *D. medicæ*, et *D. ochroleucam* Jacquini *D. luteæ*.

OBS. 2. *D. fuscescens* huc retuli, non obstante quâdam aspectûs diversitate. Bracteæ enim longissimæ angustæ acuminatæ, quæ *D. ochroleucæ* certa signa. Flores fusci seu fulvi minores, quasi inter *D. ferrugineam* et *ochroleucam*.

6. DIGITALIS FULVA.

TAB. 9.

D. foliis lanceolatis ciliatis, bracteis omnibus floribus duplò brevioribus, corollâ pubescente reticulatâ: laciniis ovatis acutis: labio barbato, staminibus tubo subæqualibus.

D. media flore luteo rubente. *Park. Parad.* 381. *f.* 5?

D. obscuro-ferruginea. *Kælr. in Act. Petr.* 2. 261?

HAB. ——— (v. v. c. in horto Dom. Lee).

Herba 3-pedalis caule simplici impubi. *Folia* radicalia lanceolata, versus basin attenuata, ciliata et ad venas subtus pilosa, supra lævia bullata purpureo tincta; caulina lanceolata, recurva, distantia, sursum angustiora. *Racemus* laxus multiflorus. *Bracteæ* omnes floribus breviores. *Flores* fulvi, ferrugineo reticulati, quasi inter *ambiguam* et *ferrugineam*. *Sepala* nuda, v. margine pubescentia, ovata, acuta. *Corolla* infundibularis, ventricosa: labio porrecto, ovato, acuto, barbato. *Stamina* subæquilonga, glabra. *Antheræ* albæ, intus pubescentes. *Flores* plurimi nunquam aperiunt. *Capsulæ* pleræque vacuæ.

OBS. 1. Planta originis omninò dubii. Vivam vidi in horto Dom. Lee, sed unde receptam haud novit.

OBS. 2. Hybrida omninò videtur; et pluribus simillima stirpi Kælreutero productæ inter *D. obscuram* ♂ et *ferrugineam* ♀. Verosimiliter Parkinsonii synonymon huc pertinet. Si non, quò nescio.

§ 2. Corolla subrotunda ventricosa: labio tubi longitudine. Stamina tubo æqualia.

7. DIGITALIS LÆVIGATA *W. & K.*

TAB. 10.

D. glaberrima, ramosa; foliis lineari-lanceolatis, floribus sparsis impubibus.

D. lævigata. *Waldst. et Kit. Plant. Hung.* 2. 171*. *t.* 158. *Pers. Ench.* 2. 163. *Elm. Mon.* 44.

HAB. Locis rupestribus calcareis montosæ Croatiae (*W. et K.*). *ꝯ.* (*v. v. c. hort. Kew.*)

Tota glaberrima. *Caulis* ramosus, 2-pedalis. *Folia* nitida: radicalia obovato-lanceolata, obscure dentata; caulina lineari-lanceolata, recurva, 5-nervia. *Racemi* floribus sparsis, distantibus. *Bracteæ* inferiores floribus longiores. *Pedunculi* calycis longitudine. *Sepala* angusta, subæqualia. *Corolla* flava, ventricosa, subglobosa, reticulata, laciniis ovatis, obtusis: *labio* multo majore, ciliato, apice dilatato, albo.

8. DIGITALIS SIBIRICA.

TAB. 11.

D. villosa, ramosa; foliis ovatis distanter dentatis, floribus sparsis pilosis.

D. calycinis foliolis acutis, foliis ovato-lanceolatis nervosis. *Mill. Dict. No.* 9.

HAB. In Sibiria (*Bell*); Tartaria (*Miller*). (*v. ic.*)

Caulis ramosus, supernè villosus. *Folia* sessilia, ovato-lanceolata, serrata, plana, pilosa; superiora integerrima, villosa. *Flores* sparsi, ferruginei, reticulati. *Pedunculi* villosi calycibus breviores. *Sepala* subulata, villosa. *Corolla* ventricosa, hirsuta; laciniis ovatis, transversis, acutis; labio porrecto. *Stylus* basin versus pilosus.

OBS. 1. Species omnibus antea cognitis valde dissimilis. Bauerus iconem delineavit ad plantam floridam e seminibus Sibiricis in horto Domini Bell. Exemplar nullibi detexi. Millerus olim coluit, si rectè ejus synonymon citaverim.

9. DIGITALIS FERRUGINEA Linn.

TAB. 12.

D. racemo denso pyramidali, sepalis marginatis, corollæ labio ovato integro barbato.

D. ferruginea. *Lob. Icon. t.* 573. *Linn. Sp. Pl.* 867. *All. Ped.* 1. 71. *Willd. Sp.* 7. 286. *Bieb. Taur. Cauc.* 2. 80. *D. C. Fl. Fr.* 3. 597. *Pers. Ench.* 2. 162. *Elm. Mon.* 43.

D. angustifolia flore ferrugineo. *Bauh. Pin.* 244. *Mor. Hist.* 1. 477. *sect. 5. t.* 8. *Quer. Fl. Hisp.* 5. 52.

D. ferruginea folio angustiore. *Bauh. Hist.* 2. 813.

D. flore ferrugineo. *Riv. Monop. t.* 105.

D. latifolia flore ferrugineo. *Tourn. Inst.* 166.

D. ferruginea; foliolis calycinis ovali-oblongis obtusissimis membranaceo-marginatis glabris, corollæ labio superiore semibilobo; inferioris lobo medio oblongo concavo barbato; lateralibus acutis nanis. *Brown in Ait. Kew. ed. alt.* 4. 30.

β . parviflora, floribus duplò minoribus.

HAB. In Pedemontio (*D. C., All.*); Hispaniâ (*Quer.*); Hungariâ (*Waldst.*); Caucasi Iberici sylvis (*Bieb.*); β . Persiâ et Caucaso *Pall. 2.* (*v. v. c. et s. sp. herb. Lambert.*)

Caulis erectus, parum ramosus, densè foliosus, glaber. *Folia* glabra, v. ciliata, lanceolata; radicalia elongata, subundulata; caulina sursùm sensim breviora. *Racemus* longissimus, densissimus, pyramidalis. *Bracteæ* inferiores floribus longiores, superiores breviores. *Pedunculi* calyce breviores, glabri. *Sepala* oblonga, glabra, marginata. *Corolla* ventricosa, subrotunda, pubescens, ferruginea, intus reticulata: labio ovato, porrecto, integro, barbato, plano, tubi longitudine.

OBS. 1. Figura Lobelii nimis est ramosa; et quodammodo habitu *D. sibiricæ*. Vix autem speciei alterius.

OBS. 2. Varietatem β tantum in herbario Lambertiano vidi. Flores duplo minores.

10. DIGITALIS AUREA.

TAB. 13.

D. racemo multifloro, sepalis marginatis, corollâ arcuatâ : labio ovato 3-dentato.

D. maxima ferruginea. *Park. Parad.* 381. *f.* 6.

D. latifolia flore ferrugineo. *Mor. Hist.* 1. 478. *sect.* 5. *t.* 8. *Quer. Hisp.* 52?

D. ferruginea. *Smith Prodr. Fl. Græc. Sibth.* 1. 439. fide Bauer.

HAB. In Parnasso et alioqui (*Sibthorp*); in monte Olympo delineavit *Bauer*. ♂.
(*v. v. c.*)

Caulis simplex, 2-pedalis, pubescens, distanter foliosus. *Folia* radicalia oblongo-lanceolata, distanter dentata, glabra; caulina superiora lineari-lanceolata. *Racemus* quàm præcedentis tenuior, floribus paucioribus, magis distantibus. *Sepala* marginata, in icone subrotunda, in exemplare nostro ovata, acuta, tubo subæqualia. *Corolla* fuscescens, arcuata, inflata, extus fusco-purpurea, intus aurea, reticulata: labio ascendente, ovato, 3-dentato, tubi longitudine.

OBS. 1. Græci hodierni *κωράχορτον* appellant fide *Sibthorpii*, qui *Helleborum album* *Dioscoridis* putavit.

11. DIGITALIS LEUCOPHÆA *Sibth.*

TAB. 14.

D. racemo denso cylindrico multifloro, corollæ labio unguiculato lunato, bracteis linearibus floribus longioribus.

D. leucophæa. *Smith Prodr. Fl. Græc. Sibth.* 1. 439.

D. leucophæa; foliolis calycinis linearibus ciliatis, corollæ labio superiore bifido; inferioris lobo medio maximo dilatato-spathulato, bracteis flore longioribus. *Brown in Ait. Kew. ed. alt.* 4. 30.

HAB. In Atho (*Sibth.*). (*v. v. c.*)

OBS. 1. Plantæ quâ certè non species altera pulchrior, in hortis quibusdam cultæ exemplar nullibi inveni. Characteres distinctissimi, *D. lanatæ* propè tamen accedentes.

12. DIGITALIS LANATA Ehr.

TAB. 15.

D. foliis oblongis, rachi lanatâ, corollæ labio ovato.

D. lanata. Ehr. Beitr. 7. 153. Willd. Sp. 7. 287. Waldst. et Kit. Hung. 1. 76. t. 74*.
Pers. Ench. 2. 163. Bot. Mag. 1159. Elm. Mon. 44.

D. nova. Winterl. Ind. Hort. Pest.

D. Winterli. Roth. Cat. 1. 71.

D. ferruginea β . Lam. Enc. 2. 280.

D. lanata; foliolis calycinis lanceolatis lanatis, corollæ labio superiore 2-fido; inferioris lobo medio oblongo-ovato imberbi; lateralibus nanis. Brown in Ait. Kew. ed. alt. 4. 29.

D. orientalis. Elm. Mon. 45. t. 1.

HAB. In fruticetis et ad vineas Hungariæ (W. et K.). \mathcal{A} . (v. v. c.)

Caulis $1\frac{1}{2}$ —2-pedalis, simplex. Folia atro-viridia, ciliato-lanata; radicalia oblonga, versus basin attenuata; caulina oblongo-lanceolata. Racemus densus, multiflorus. Bracteæ ovatæ, floribus breviores. Rachis pilis articulatis lanata. Sepala ovata, acuta, villosa. Corolla pubescens, cinerea, reticulata: labio ovato, nudo, albo, quandoque purpurascente.

13. DIGITALIS ORIENTALIS Lam.

TAB. 16.

D. glaberrima; foliis linearibus, floribus sparsis, corollæ labio oblongo.

D. orientalis; tragopogi folio, flore albido. Tourn. Cor. 9.

D. orientalis. Lam. Encycl. 2. 280. Willd. Sp. 7. 286?

HAB. In Oriente (Tourn.). (v. v. c.)

Herba 2—3-pedalis. Caulis gracilis, impubis, lætè viridis. Folia lineari-lanceolata, recurva, acuta, glaberrima, trinervia: radicalia versus basin attenuata. Flores distantes, rachi nuda flexuosa. Bracteæ inferiores recurvæ, floribus longiores; superiores versus basin ciliatæ. Sepala obtusa, ciliata, inferiora dimidio tubi longitudine. Corolla campanulata, cinerea, extus pallidè, intùs intensiùs purpureo-reticulata, pilosa: laciniis lateralibus et superiore minutis: labio oblongo plano, obtuso, albo.

Obs. 1. De plantâ rarissimâ olim herbarium Sherardianum sola fuit apud nos auc-

toritas; inde iconem delineavit Bauerus. Nobiscum autem, anno præterito, amicus cel. R. Brown, qui floridam in horto illustr. Josephi Banks e seminibus Constantino-
poli missis observavit, recentem nobis communicavit: iterum igitur delineavi, et pristina
figura est deleta.

OBS. 2. Nescio quâ causâ Botanici de nostrâ specie mirè erravere, qui fere omnes
aliam pro verâ descripsere. Willdenovius vix hanc intellexit cùm suæ labellum spathu-
latum, bracteas pubescentes sepalaque acuta tribuit: exemplar tamen ex Armenia vi-
derat spontaneam. Pari errore Elmigerus meram *lanatæ* varietatem delineavit.

§ 3. Corolla infundibularis parùm ventricosa: laciniâ superiore bifidâ. Stamina tubo
æqualia; rarò nulla.

14. DIGITALIS PARVIFLORA Jacq.

TAB. 17.

D. foliis oblongo-lanceolatis undulatis deflexis lanato-ciliatis integris, racemo denso cy-
lindrico, corollæ laciniis sepalisque rotundatis.

D. parviflora. *Jacq. Vind. 6. t. 17**. *Willd. Sp. 7. 284.* *Pers. Ench. 2. 162.* *Bot.*
Reg. 257.

D. ferruginea γ . *Lam. Enc. 2. 280.*

D. parviflora; foliolis calycinis oblongis obtusis marginibus rachique lanatis, corollis ob-
tusis: labio superiore integro; inferioris lobo medio intus villosa lateralibus paulo
majore, foliis omnibus integerrimis adultis margine lanatis. *Brown in Ait. Kew. ed.*
alt. 4. 29.

HAB. ——— \mathcal{U} . (*v. s. c.*)

Caulis strictus, simplex. *Folia* undulata, præsertim margine villosa: radicalia obovata;
caulina oblongo-lanceolata, deflexa. *Racemus* densus, cylindricus. *Bracteæ* inferiores
floribus longiores. *Flores* parvi, fusco purpurei, inferiores axillares. *Sepala* crassa,
pilosa, suborbiculata. *Corolla* pilosa, limbo subregulari: laciniis rotundatis, labio
paulo latiore. *Antheræ* immaculatæ.

OBS. 1. In horto Vindobonensi observavit Jacquinus, unde autem nescivit. In hortis
sæpe colitur, et sata semper permanet.

15. DIGITALIS VIRIDIFLORA.

TAB. 18.

D. glanduloso-pilosa; foliis oblongis dentatis, corollæ laciniis ovatis, sepalis subulatis.

HAB. In monte Atho (*Bauer.*) (v. ic.)

Herba tota pilis glandulosis, verosimiliter viscidis, obsita. *Caulis* angulatus. *Folia* oblonga, dentata, plana. *Racemus* elongatus, sparsiflorus, quaquaversus. *Bracteæ* inferiores ovatae, superiores lineares v. lineari-lanceolatae, fere omnes floribus longiores. *Sepala* subulata. *Corolla parvifloræ* magnitudine, viridis, laciniis ovatis, venosis. *Antheræ* immaculatae. *Capsula* glanduloso-pilosa.

OBS. 1. Speciei distinctissimæ exemplar unicum tantum floridum Bauerus detexit in Monte Atho, et delineavit. Sibthorpius, autem, quòd tali statu non viderat, iconem neglexit; sine floribus tamen in herbario suo extare debet, teste Bauero; sed in Pro-dromo Floræ Græcæ non invenio, nisi, quod vix credibile, sub nomine *D. luteæ*; quam Bauerus eâ regione observasse non videtur.

16. DIGITALIS RIGIDA.

TAB. 19.

D. glanduloso-pilosa; foliis oblongo-lanceolatis rugosis undulatis dentatis, racemo secundo multifloro, corollâ pubescente: laciniis ovatis glandulosis.

HAB. ——— (v. ic.)

Ex horto Cantabrigiense recepit Bauerus sub nomine *D. parvifloræ*. Distinctam credo; certò nullibi nisi *D. luteæ* referenda, quæ jam nimis varietatibus exundat. *Antheræ* viridescentes, sanguineo maculatae.

17. DIGITALIS PURPURASCENS Roth.

TAB. 20.

D. foliis lineari-lanceolatis serratis glabris, racemo secundo, corollâ glabrâ: laciniis rotundatis.

D. purpurascens. Roth. Cat. 2. 62*. *D. C. Fl. Fr.* 5. 411. excl. var. *Elm. Mon.* 45. excl. var.

D. erubescens. Dryander MSS. Brown in Ait. Kew. ed. alt. 4. 29.

HAB. In montosis lapidosis Germaniæ (Roth.); Italiâ (Dryander MSS.). (v. s. c.)

Habitus *D. luteæ.* Folia radicalia obovata, ad venas subtus pilosa. Corolla rubicunda, ventre intus punctis maculato, laciniis ciliatis: superiore integerrimâ. Antheræ immaculatæ.

18. DIGITALIS LUTESCENS.

TAB. 21.

D. foliis cordato-oblongis planis crenatis impubibus, racemo secundo, corollâ glabrâ: laciniis obtusissimis, bracteis omnibus floribus brevioribus.

HAB. ——— (v. ic.)

Caulis simplex, gracilis, nudiusculus. Bracteæ, sepala et ovaria villis raris obsita. Corolla longa, tubulosa, glabra: laciniis ciliatis: superiore 2-fidâ. Antheræ flavæ, sanguineo maculatæ.

In horto Botanico Heidelbergense sub nomine *D. ambiguae* vidit Bauerus.

19. DIGITALIS TUBIFLORA.

TAB. 22.

D. corollæ laciniis ovatis obtusis, floribus diclinibus.

HAB. ——— (v. ic.)

D. luteæ proxima, quâ tantum differre videtur floribus diclinibus longioribus: notis, fa-
teor, vix certissimis; fide tamen Dom. Francisci Baueri, qui in horto Kewensi per
quinquennium observavit, constantibus.

20. DIGITALIS LUTEA Linn.

TAB. 23. 24. 25.

D. foliis lanceolatis dentatis glabris, racemo secundo, corollâ glabrâ : laciniis ovatis barbatis, bracteis inferioribus floribus longioribus.

D. lutea parva. Lob. *Ic. t.* 573. *Mor. Hist.* 1. 479. *sect.* 5. *t.* 8.

D. angustifolia lutea. Bauh. *Pin.* 244.

D. major lutea s. pallida, parvo flore. Bauh. *Pin.* 244? *Quer. Hisp.* 5. 52.

D. flore minore, subluteo, angustiore folio. Bauh. *Hist.* 2. 814.

D. flore luteo minore. Riv. *Monop. t.* 105.

D. minor, luteo parvo flore. Tourn. *Inst.* 165.

D. foliis calycinis subulatis, floribus imbricatis. Linn. *Hort. Cliff.* 318. *Dal. Par.* 192.

D. foliis calycis acutis linearibus, flore parvo. Hall. *Stirp.* 617.

D. calycinis foliolis lanceolatis, corollis acutis : labio superiore bifido. Linn. *H. Ups.* 178.

D. lutea. Linn. *Sp. Pl.* 867. *Bull. Par. t.* 373. *Jacq. Vindob.* 2. 47. *t.* 105. *Roth. Cat. Bot.* 2. 62. *Willd. Sp.* 7. 285. *Savi. Pis.* 82. *Smith Prodr. Fl. Græc. Sibth.* 1. 439? *Pers. Ench.* 2. 162. *Elm. Mon.* 42. *Bot. Reg.* 251.

D. parviflora. All. *Ped.* 1. 70. *Lam. Fl. Fr.* 2. 333. *D. C. Fl. Fr.* 3. 597.

D. lutea ; foliolis calycinis lanceolatis, corollis acutiusculis ; labio superiore bifido : inferiore intus barbato, foliis glabris. Brown in *Ait. Kew.* 4. 29.

β . micrantha, sepalis corollæ subæqualibus.

D. micrantha. Elm. *Mon.* 46. *t.* 2.

γ . hybrida, floribus majoribus pallidis, caule erectiore. Tab. 24.

D. hybrida. Salv. *Nouv. Bull.* 3. 337. *t.* 6. *Journ. Phys.* 1782. *p.* 285. *t.* 1. *f.* 1 et 2.

D. intermedia. Lap. *Abr. ? fide D. C.*

D. purpurascens β , δ , *D. C. Fl. Fr.* 5. 411. *Elm. Mon.* 45.

δ . fucata, floribus majoribus fusco-purpureis, caule erectiore. Tab. 25.

D. fucata. Ehr. *Beitr.* 7. 151. *Pers. Ench.* 2. 162.

D. purpurascens γ . *D. C. Fl. Fr.* 5. 411. *Elm. Mon.* 45.

HAB. In Europâ calidiore; β ———; γ Arvernâ et Pyrenæis (*D. C.*); δ Europâ (*Ehr.*).
(*v. v. c. et s. sp.*)

Caulis simplex, teres, v. levissimè angulatus, pallidè viridis, glaberrimus, v. pubescens. *Folia* radicalia spathulata, magis minusve dentata, sæpius ad venas subtus pubescentia; superiora ovato-lanceolata, basi sub-cordata. *Racemus* secundus, densus, multiflorus. *Bracteæ* floribus inferioribus longiores. *Pedunculus* et *calyx* nunc glaberrimi, nunc pubescentes. *Sepala* ovata, obtusa, 4 inferiora subæqualia. *Corolla* calyce triplo longior, pallidè lutea, versus apicem puberula : laciniis ovatis, barbatis; supremâ bifidâ. *Antheræ* pilosiusculæ.

OBS. 1. Hanc Bauerus, qui nullibi in Græciâ observavit, ad exemplar hortense delineavit. Ergò an *D. lutea* Smithii in Prodrómo Floræ Græcæ Sibthorpiæ hæc sit, an nostra *viridiflora*, non possum non dubitare.

OBS. 2. Varietatis β exemplar in herbario asservatum vidit Elmigerus. Semina multi nostrates sub eo nomine nuper e Galliâ recepère, ex quibus *D. lutea* semper orta est. Nec unquam nobis varietatem sedulò quæsitam videre contigit. Monstrum itaque potius quam varietatem judicarem; sed autoptis solis rem certam affirmare licet.

OBS. 3. *Digitalis* inter *luteam* ♀ et *purpuream* ♂, Kœlreutero in *Actis Petropolitânis* 1. 215. t. 4. editæ, exemplar ab ipso autore adhuc in herbario Lambertiano restat. Notis quibusdam nostra γ discrepat, præcipuè corollæ majoris laciniis rotundatis. Hanc tamen hybridam esse, ex hoc persuasum habeo, quòd capsulæ ferè semper sunt vacuæ; ut et varietatis δ .

OBS. 4. Nescio cujus loci sit *D. fucata* Mönch. *suppl.* 164, cui corolla magnitudine *D. ambiguæ* ochroleuca tribuitur.

21. DIGITALIS OBSCURA Linn.

TAB. 26.

D. suffruticosa; foliis lineari-lanceolatis integerrimis glabris, corollis ventricosis.

D. angustifolia hispanica. *Bocc. Mus.* 136. t. 98.

D. hispanica angustifolia flore nigricante. *Tourn. Inst.* 166. *Quer. Hisp.* 5. 51.

D. obscura. *Linn. Sp. Pl.* 867*. *Jacq. Vind.* 1. 40. t. 91. *Willd. Sp.* 7. 287. *Pers. Ench.* 2. 163. *Elm. Mon.* 44. *Sims Bot. Mag.* t. 2157.

D. obscura; foliolis calycinis oblongo-lanceolatis acutis, corollæ labio superiore bifido; inferioris lobis lateralibus acutis; medio ovato, foliis lanceolato-linearibus acuminatis integerrimis glabris. *Brown in Ait. Kew. ed. alt.* 4. 30.

HAB. In Hispaniâ (*Quer.*, *Boccone*). (*v. v. c. et s. sp. herb. Lambert.*)

Suffruticulus, caule simplicissimo, glabro. *Folia* lineari-lanceolata, atro-viridia, nitida, rigida, integerrima, refracta. *Racemus* laxus, pauciflorus. *Flores* atro-ferruginei, subtus et ad latera pallidiores. *Sepala* subæquilonga, ovata, acuta, obscurè uninervia, pubescentia; duo lateralia interiora superiore minora. *Corolla* arcuata, pubescens, parum ventricosa, intus aurea, lineis atro-fulvis venosa: laciniâ superiore emarginatâ; labio ovato, porrecto, ad basin intus villosus. *Antheræ* ciliato-glandulosæ. *Discus* inconspicuus, marginatus.

OBS. 1. Hanc Hispani in Alcarriâ uti medicinam contra vulnerum gangrænas, et præsertim animalium, efficacissimam adhibent; his herbæ infusione bis lavatis, caro impurus exuitur, et morbus repellitur. *Quer. l. c.*

SECTIO II.
I S O P L E X I S.

Corolla campanulata: laciniâ superiore labio æquali, et in eo æstivatione incumbente. *Caulis fruticosus. Racemi pedunculati.*

22. DIGITALIS CANARIENSIS *Linn.*

D. corollæ laciniis acutis.

TAB. 27.

Digitalis acanthoides canariensis frutescens flore aureo. Comm. Hort. 2. 105. t. 53.

Digitali affinis canariensis Solidaginis acutis foliis leviter pilosis, flore aureo cucullato, staminibus croceis cristæ cavo accumbentibus ornato. Pluk. Alm. 400. Mant. t. 325. f. 2.

Gesneria foliis lanceolatis serratis, pedunculo terminatrici laxè spicato. Linn. Hort. Cliff. 318.

D. canariensis. Linn. Sp. 868. Mill. Ic. 1. t. 120. Willd. Sp. 7. 288. Pers. Ench. 2. 163. Elm. Mon. 44. Bot. Reg. t. 48.

D. canariensis; foliolis calycinis lanceolatis, corollæ acutæ labio superiore bifido; inferioris lobis lanceolatis subæqualibus, foliis lanceolatis serratis, caule fruticoso. Brown in Ait. Kew. ed. alt. 4. 30.

HAB. In Canariis, *Masson.* (*v. v. c. et s. sp. herb. Banks.*)

Suffruticosa. *Caulis simplex, pubescens. Folia perennantia, lanceolata, venosa, serrata, subtus et ad margines pilosa. Racemus pedunculatus. Flores densi, aurei. Sepala subulata, duo inferiora majora. Corolla campanulata, coriacea, 2-labiata, glanduloso-pilosa: laciniis subæquilongis, tubo æqualibus: superiore maximâ, planâ, obovatâ, emarginatâ; lateralibus subulatis, canaliculatis; labio ovato, porrecto, æstivatione laciniæ superiori appresso, nec incumbente. Stamina impubia, colorata, tubo multò longiora. Ovarium glabrum, penitùs biloculare. Stylus filiformis, glaber, coloratus, apice incurvus. Stigma bifidum.*

23. DIGITALIS SCEPTRUM *Linn.*

TAB. 28.

D. corollæ laciniis obtusis, racemo comoso.

D. Sceptrum. *Linn. Suppl.* 282. *Ait. Kew.* 2. 346. *L'Her. Sert. Angl.* 21. t. 24. *Willd. Sp.* 7. 288. *Smith Exot. Bot.* 2. 27. t. 73. *Pers. Ench.* 2. 163. *Elm. Mon.* 45.

D. Sceptrum; foliolis calycinis lanceolato-linearibus, corollæ obtusæ labio superiore bifido; inferioris lobo medio subrotundo lateralibus ovatis duplo latiore, spicâ comosâ, caule fruticoso. *Brown in Ait. Kew. ed. alt.* 4. 31.

HAB. In sylvis umbrosis Maderæ, *Masson.* (*v. v. c. et s. sp. herb. Banks.*)

Frutex 3-pedalis et ultra; *trunco* di-trichotomo, rugoso, rimoso, sursùm cicatricibus foliorum anni prioris notato; ramis junioribus carnosis, pilosis. *Folia* in apicem ramorum aggregata, sessilia, obovato-lanceolata, coriacea, venosa, denticulata, subtùs pilosa. *Racemus* pedunculatus, thyrsoideus, comosus. *Flores* densi, penduli, ex auro fulvi. *Bracteæ* lineares, pilosæ. *Sepala* linearia, spathulata, pilosa, assurgentia; tria superiora breviora. *Corolla* campanulata, pilosa, basin versùs subtùs utrinque foveata, reticulata: laciniis oblongis, rotundatis, tubo duplò brevioribus, subæquilongis: superiore planâ, 2-partitâ; lateralibus patentibus, paulò minoribus; inferiore concavâ, deflexâ, æstivatione superiori appressâ, nec incumbente. *Stamina* colorata, tubo longiora. *Antheræ* glabræ. *Ovarium* ovatum, pilosum, semibiloculare. *Stylus* filiformis, pilosus, coloratus. *Stigma* bifidum.

DUBIA.


24. D. alba altera s. minor. *Park. Par.* 382.

I N D E X

SPECIERUM ET SYNONY MORUM.

<i>ambigua</i> Murr.	p. 13	* <i>lutescens</i>	p. 22
<i>ambigua</i> Schrank.	14	<i>media</i> Roth.	13
* <i>aurea</i>	18	<i>micrantha</i> Elm.	23
<i>Canariensis</i> Linn.	25	<i>minor</i> Linn.	12
<i>erubescens</i> Ait.	22	<i>nova</i> Winterl.	19
<i>ferruginea</i> Linn.	17	<i>obscura</i> Linn.	24
<i>ferruginea</i> Sm.	18	<i>obsкуро-ferruginea</i> Kœl.	15
<i>ferruginea</i> β Lam.	19	<i>ochroleuca</i> Jacq.	14
<i>ferruginea</i> γ Lam.	20	<i>orientalis</i> Lam.	19
<i>fucata</i> Ehr.	23	<i>orientalis</i> Elm.	19
<i>fucata</i> Moench.	24	<i>parviflora</i> Jacq.	20
* <i>fulva</i>	15	<i>parviflora</i> All.	23
<i>fuscescens</i> W. et K.	14	<i>purpurea</i> Linn.	9
<i>grandiflora</i> All.	13	<i>purpurascens</i> Roth.	22
<i>hybrida</i> Salv.	23	<i>purpurascens</i> β, γ, δ, D. C.	23
<i>intermedia</i> Pers.	13	* <i>rigida</i>	21
<i>intermedia</i> Lap.	23	<i>Sceptrum</i> Linn.	26
<i>lanata</i> Ehr.	19	* <i>Sibirica</i>	16
<i>lævigata</i> W. et K.	16	<i>Thapsi</i> Linn.	10
<i>leucophæa</i> Sibth.	18	<i>tomentosa</i> Hoffmanns.	11
<i>lutea</i> Linn.	23	* <i>tubiflora</i>	22
<i>lutea</i> Fuchs. Pall.	13	* <i>viridiflora</i>	21
<i>lutea</i> Tabern.	14	<i>Winterli</i> Roth.	19

LONDINI
IN ÆDIBUS RICARDI ET ARTHURI TAYLOR
M.DCCC.XXI.




TABULÆ PRIMÆ EXPLICATIO.

FIG.

1. Flos admodum tener anticè conspectus.
2. Idem obliquè.
3. Ejusdem anthera ; multùm aucta.
4. Eadem à tergo visa.
5. Eadem transversè secta.
6. Flos adultus anticè conspectus.
7. Idem obliquè.
8. Ejusdem anthera ; multùm aucta.
9. Eadem à tergo.
10. Eadem transversè secta.
11. Flos expansus anticè conspectus.
12. Idem obliquè.
13. Corolla divisa et aperta.
14. Eadem paulò aucta, limbo ad insertionem filamentorum abscisso.
15. Ejusdem anthera dehiscens et pollen emittens ; multùm aucta.
16. Eadem à tergo.
17. Anthera polline orbata ; multùm aucta.
18. Pollinis granulæ ; maximè auctæ.
19. Calyx et ovarium ; paulò aucta.
20. Stigma obliquè conspectum ; auctum.
21. Idem anticè.
22. Ovarium à latere ; paulò auctum.
23. Idem transversè sectum.
24. Capsula adulta.
25. Eadem paulò aucta.
26. Ejusdem sectio transversa.
27. Capsula matura dehiscens.
28. Semina.
29. Capsula matura paulò aucta.
30. Eadem per axin divisa.
31. Semen ; multùm auctum.
32. Idem à tergo.
33. Ejusdem sectio transversa.
34. Idem per axin divisum.
35. Embryo.

Digitalis





*Digitalis
purpurea*

Ferd. Bauer del. et






*Digitalis
Purpurea*




Digitalis
purpurea L.



Digitalis
minor





Digitalis
minor β




Digitalis ambigua.



*Digitalis
ochroleuca*

J. Lindley del. et sc.



*Digitalis
purpurea*

Lindley del. et sc.





*Digitalis
lanigata*

Ferd. Bauer




*Digitalis
Sibirica*


Forst. Hoffm. del.



Digitalis ferruginea




Digitalis aurea



*Digitalis
lanceolata*

Carl Bauer del. et sc.



Digitalis lanata.

W. Wood sculp.

Publ. as the Act Direct July 1794



Digitalis orientalis

Lindley del. a. sc.





*Digitalis
parviflora*




*Digitalis
purpurea*

Ferd. Bauer del. & sc.



*Digitalis
purpurea*



*Digitalis
purpurascens*

Fol. Bauer del. et sculp.



Digitalis lutescens

Erd. Bauer del.





Digitalis tubiflora.


Des. Bourc. del. et. sculp.





*Digitalis
Purpurea.*


Tab. 116.




Digitalis
lutea γ 511. 22. 26.

J. B. Smith del.





*Digitalis
lutea* v.



*Digitalis
Obscura.*

Ferr. Bauer del. et sculp.




*Digitalis
purpurea.*





*Digitalis
purpurea.*

W. B. Boiss. del. et sculp.







LLOYD LIBRARY & MUSEUM
917 PLUM STREET
CINCINNATI, OHIO 45202 USA

